

II. An aliquis irrepperit abusus aut prava quaedam in eodem inotuerit consuetudo, quae consilio indigent et sedis apostolicae adiutorio.

§. 9.

De ultimo capite ad Postulata pertinentente.

Ultimo loco Episcopi, Archiepiscopi, Primate et Patriarchae, qui suarum ecclesiarum relationes ad sacram transmittunt Congregationem, si quae habent postulata proponenda pro suarum regimine ecclesiarum, proponere poterunt cum clara facti et omnium circumstantiarum expressione et quatenus postulata spectent ad negocia forensia exponant an ea sint in aliis tribunalibus introducta, an adsint super iisdem aliorum tribunalium sententiae, ut omnibus mature pensatis possit S. Congregatio congruum suppeditare praedictis postulatis responsum.

Et haec sunt, quae opportuna visa fuerunt, ut in hac instructione inserantur. Quod si aliqua fuerint, quae Episcopi, Archiepiscopi, Primate et Patriarchae pro suarum indigentia ecclesiarum atque dioecesium addenda existimaverint, sciant sibi liberum esse addere, quae ipsis addenda videbuntur, et ad notitiam S. Congregationis deferre, quae ex charitatis et iustitiae norma per se expedit, quae poterit et majora ad summum pontificem deferret, qui fratribus suis Episcopis, quantum cum Domino licet, gratificari semper exoptabit.

(L. † S.)

C. Card. Origus,
PraefectusP. Archiepisc. Theodosiae
Secretarius.

Vd.: *Constit. Bened. XIV.* 23. Nov. 1740. (Bull. r. t. XVI. p. 73.) *De Congregatione pro examinando hoc statu* vd.: *Constit. Bened. XIV.* de die 23. Nov. 1740. (Ibid. p. 16.)

STEARINA.

Utrum utenda in celebr. missae?

Vd.: *Lumina; Candela* (materia).

Haud levis momenti hodierna die Emmi et Rmi Patres sapientissimi vestro iudicio definienda proponitur quaestio, quae ex novis inventis achymiae, ut ajunt, progressu derivantibus, suboritur. Et quamvis ecclesia prudenti quadam oeconomia caveat se huiusmodi quaestionibus immiscere, attamen cum res vel fidei doctrinam vel populi christiani mores vel Dei cultum ejusque ritus aliquo modo attingat, tunc quin aliquid de novi adinventi natura proferat aut decernat, ea praescribit, quae sive fidelibus sive a sacris ministris tuenda sunt et observanda.

Ita profecto videtur in praesentiarum quoad ea, quae sacros ritus respiciunt. Conficiuntur enim paucis ab hinc annis quaedam candelae quae specietenus eas ex cera conflatas optime imitantur. Hinc factum est ut quidam vehementer dubitarent utrum easdem candelas pro Dei cultu ecclesiasticisque functionibus adhibere liceret illarum loco, quibus vel a suis primordiis huiusque ecclesiae usa est. Primi, qui hac de re hanc S. Congregationem adierunt, nonnulli fuere cereorum opifices ex civitate Massiliensi. Hi enim ex eo commoti sunt, quod ob novam inventionem cereos perficiendi ad usum ecclesiarum grave damnum sibi suisque familiis pertimerent. Eorum precibus in ordinario conventu habito die 23. Febr. 1839 relatis placuit Vobis Emmi et Rmi Patres hoc negotium Episcopo Massiliensi pro informatione et voto remittere, quibus acceptis unacum nonnullis observationibus alterius ex recentioribus opificibus iterumque causa proposita, responsum est: „Ponatur in folio exquisito voto magistri caeremoniarum“.

Quod autem a S. Congregatione Massilienses opifices suppliciter postulabant, idem paulo post in Luburnia cereorum opifices ab eorum Episcopo Zagabriensi enixe exquirebant. Is dubius haerens quid illis responderet, praesertim quod certo sciebat nonnullos Galliarum Episcopos editis literis encyclicis cereorum usum, de quibus sermo, in eorum dioecesibus pro sacris functionibus prohibuisse, suum hac de re Metropolitanum consuluit, a quo epistolam accepit, ubi, licet expositis validis rationibus, ob quas Archiepiscopus Colocensis opinabatur haud quaquam fas esse in sacris functionibus novis uti cereis, nihilominus quoniam referebatur eosdem aliquam ceram partem continere, ideo sui muneris duxit totum negotium huic S. Congregationi subijcere, quod et praestitit ejus Vicarius generalis literis ad suum in urbe procuratorem datis sub die 19. Maii anni 1842. Tandem delata est ad hanc S. Congregationem epistola alterius novorum cereorum opificis in civitate Mediolani ad adm. R. P. Vincentium Modena ex ordine s. Dominici et Rmi P. S. Palatii apostolici Magistri socium conscripta, qua auctor expostulat, ut eorumdem cereorum usus pro ecclesiasticis functionibus ab hac apostolica Sede declaretur.

Ex hisce autem documentis perspicue apparet totam quaestionem in eo esse, utrum nempe nova cereorum species toleranda sit, an potius prohibenda. Antequam meam, qualiscumque sit, sententiam Vobis Emmi et Rmi Patres aperiam, ut munere mihi demando satisfaciam, nonnulla mihi videntur necessario esse praemittenda, ut ipsamet quaestio clare innotescat. Atque in primis inquirendum est quatenam sit eorum materies, qua conficiuntur. Omnibus utique notum exploratumque est candelas, de quibus agitur, confici ex adipe sive bovis

sive arietis sive similium animalium, qua vero ratione id fiat breviter exponam.

Adeps prius in sua elementa resolvitur, ut ab oleo, quod continet, expurgetur. Primus qui Parisiis analysi adipis subiecit ac methodum id perficiendi adinvenit, est clarissimus Chevreul, qui ope acidi sulphurei alteriusque substantiae separavit atque divisit ex adipe materiem liquidam, oleo persimilem, quam dixit *oleinam*, materiem vero crassam solidamque, quae remanet, a graeco vocabulo appellavit *stearinam**). Porro ex stearina fit acidus stearicus atque ex eo Cambacères docuit methodum novas candelas conficiendi, quaeque propterea a plerisque ex cera animali appellantur. Hinc est quod cum adeps ea parte careat, quae dicitur *oleina*, candelae ex ea formatae non amplius male oleant albaeque appareant: quinimo opifices ita pannis laneis *alcohol* madefactis exterius defricant, ut praeternitorem etiam cerae odorem exhalent. Verum ob olei defectum ita fragiles sunt, ut si in terram decident, ac si vitreae essent, in minutissima fragmenta conterantur. Utrum una cum *stearina* aliqua cerae pars in aliqua officina commisceatur, ad rem nostram, ut inferius ostendam, parum refert; illud autem pro certo habendum est juxta novam inventionem candelas, quae venales prostant, generatim ex sola *stearina* absque cerae mixtione elaboratas esse. Praeterea mei non est inquirere an revera alicubi etiam arsenicum in novis candelis commisceatur, prout in ephemeribus referebatur.

Haec de novorum cereorum materia et qualitate, modo dicendum est de quibusdam sacris ritibus, in quibus

*) Inter caeteros videri potest Joseph Gazzerri in opere, cui titulus: *Compendio di un trattato elementare di chimica* tome 2 edit. 3. Flor. 1833.

cerae usus ita est praescriptus, ut nullo modo alia materies eidem possit substitui. Occurrit imprimis ritus cerei paschalis, quem cum Diaconus benedicendo accenderit, ita ex praeconio prosequitur: „qui licet sit divisus in partes, mutuati tamen luminis detrimenta non novit. Aliter enim liquantibus cereis, quas in substantiam pretiosae hujus lampadis apis mater eduxit“. Item in benedictione candelarum, quae habetur in festo Purificationis B. Mariae Virginis in prima oratione ita legitur: „Domine s. Pater omnipot. aeterne Deus, qui omnia ex nihilo creasti et jussu tuo per opera apum hunc liquorem ad perfectionem cerei venire fecisti“. Jam vero, quaeso, haec dicine possunt de cereis ex *stearina* confectis? Praeterea in *caeremoniali romano* lib. 2. cap. 22. de matutinis tenebrarum quartae, quintae et sextae feriae majoris hebdomadae, num. 4. hac ratione praescribitur: „A latere epistolae ponitur candelabrum triangulare accomodandum ad sustinendos quindecim cereos cerae communis... qui paulo ante adventum Episcopi acceduntur simul cum cereis altaris ex *eadem cera communi*“. Idem legitur cap. 25. pro officio feriae sextae in Parasceve; hujusmodi autem *cera communis*, quae colore suo molestiam praesefert, non nisi apum opera haberi potest.

Ex dictis igitur statuendum est candelas juxta novam inventionem elaboratas constare ex adipe animalium, quae nisi oleo expurgeretur esset sebum; atque insuper in quibusdam sacris functionibus vel ex ipso ritu vel ex statuta ecclesiae lege ita ceram apum opera eductam esse adhibendam, ut alteram alterius speciei induci omnino nequeat. Praeterea addendum est multis in ecclesiis candelas ex *stearina* confectas jam adhiberi, Episcopis quibusdam reprobantibus, aliis saltem con-

ventibus. Quapropter quae sequuntur mihi discutienda videntur.

Dubia.

I. *An exceptis praedictis ecclesiasticis functionibus in reliquis usus novarum candelarum sit tolerandus?*

II. *An et quid respondendum Archiepiscopo Colocensi, Episcopo Masiliensi aliisque hanc S. Congregationem interrogantibus?*

III. *Quatenus ad I. negative: An expediat generale prohibitionis edere decretum?*

A primo exordiamur. Ex sacra historia compertum habemus ecclesiam a novitatibus semper abhorruisse etiam in iis quae disciplinam sacrosque ritus respiciunt, ut sartas tectasque Patrum Majorumque traditiones custodiret. Multa possem in medium afferre exempla, sed brevitatis gratia in eo sistam, cujus et nos testes sumus et maximum cum re nostra habet affinitatem. Nemo vestrum ignorat Emmi ac Rmi Patres non multis abhinc annis paulatim tum in urbe tum extra consuetudinem seu potius corruptelam irrepsisse in sacris supellectilibus tam pro sacerdotibus celebrantibus, quam pro usu altarium, in tobaleis videlicet, amictis, albis, purificatoriis ac etiam in corporalibus eorumque pallis utendi tela ex gossipio loco lini contexta. Re ad hanc S. Congregationem delata ac in sacris comitiis die 15. Maii anni 1819 habitis, mature perpensa auditoque alterius apostolicarum caeremoniarum magistri voto latum fuit generale decretum a Pio VII. fel. rec. approbatum, quo praedictus gossipii usus est interdictus. In eo autem decreto inter caetera haec leguntur:

„Ad hanc corruptelam, quam bene multi consuetudinis nomine cohonestare nituntur, radicitus evellendam studia converterunt Emmi ac Rmi Patres Domini Cardinales sacris tuendis ritibus praepositi: solliciti idcirco ut quod

usque ab ecclesiae primordiis quoad sacra indumenta et supellectilia ob reales et mysticas significationes inductum est, retineatur, restituatur et in posterum omnino servetur, declararunt et decreverunt ab antiquo more sub quolibet praetextu, colore ac titulo non esse recedendum et eadem sacra indumenta ac supellectilia conficienda esse ex lino aut cannabe, non autem ex quacumque alia materia, etsi munditie, candore ac tenacitate lino aut cannabem aemulante et aequante.“*)

Ex hoc decreto satis constat quatenam fuerit ratio in sacris indumentis et supellectilibus prohibendi usum gossipii loco telae ex lino vel cannabe contextae, nempe quod *usque ab ecclesiae primordiis* mos ille inductus est et *ob reales et mysticas significationes*. Hoc posito inquiram, utrum idem de luminibus ex cera confectis sit dicendum. Quoad usum antiquitatem audiatur clarissimus Baronius, qui ad annum 58 demonstrat non solum ad noctis tenebras expellendas vel laetitiae causa, sed etiam religionis ergo apud Judaeos in more positum fuisse lucernas incendere, quem quidem morem in Christi ecclesiam dimanasse tenendum est. Et quamvis fortasse apud primaevos christianos lucernae tantum oleo factae in usu fuerint, attamen cereorum usum esse antiquissimum et non minus quam acolythorum institutionem, quorum munus erat accensos ferre cereos, optime arguit laudatus Baronius. Et re quidem vera exploratissimum est jam a tempore s. Hieronymi consuetudinem cereos incendendi tum in Oriente cum in Occidente invaluisse. Cum enim Vigilantius fidei desertor eorum pium cultum derideret, qui pro martyrum honore cereorum moles, sole fulgente, accendere in ecclesiis solebant, sic

*) Vd.: *Paramenta* (materia).

respondet Hieronymus; „cereos autem non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris: sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, ut vigilemus ad lumen, ne caeci tecum dormiamus in tenebris.“*) Caeterum ea verba: *cereos non clara luce accendimus* metaphorice sunt intelligenda, alioquin quonam pacto paulo post in eadem epistola dicere potuisset: „Nam et absque martyrum reliquiis per totas Orientis ecclesias, quando legendum est evangelium, acceduntur luminaria, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum laetitiae demonstrandum. Unde et virgines illae evangelicae semper habent accensas lampades suas ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in psalterio legimus: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis*. Neque vero quispiam de hujusmodi ritibus certior fieri potuerat, quam idem s. Doctor, qui Gallias ac prope universam Occidentis ut et Orientis, ubi degebat, ecclesiam inviserat.

Quod in Orientis ecclesiis perspiciatur, id etiam apud ecclesias occidentales in more positum fuisse testis est Paulinus ipsi Hieronymo aequalis, qui in natali 6. s. Felicis sic canit:

„Ast alii pictis accedunt lumina ceris**)
Multiforesque cavis lychnos laquearibus aptent.

Ut vibrent tremulas funalia pendula flammis.“

Praeiverat autem Prudentius christianus vates in hymno s. Laurentii, in persona tyranni canens:

Argenteis schyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem
Adstare fixos cereos.

Et s. Isidorus ad annum 600 asserit:

*) Epistola ad Vigilantium.

***) En mos cereos pingendi qui usque ad nos pervenit.

„Acolythos, latine ceroferarios, dici a cereis, quos afferunt ad evangelium vel cum sacrificium offertur, tunc enim lumina accendunt feruntque non ut tenebras amoveant, quandoquidem sol emicat, sed veluti in laetitiae signum, ut haec corporea lux eam lucem significet, de qua loquitur evangelium: „Haec est lux vera“^{*)}. De sequentibus temporibus nemo dubitat. Caeterum de cereorum in sacris functionibus usus antiquitate videri possunt Cardinalis Bona^{**}), Durandus^{***}), Joseph Vicecomes †), Petrus le Brun ††), Meratus apud Gavantum †††), Joseph. Languet Episcopus Suessionensis *†) aliique permulti.

Haec de veteri cereorum usu; quod autem ad mysticam significationem attinet adeo mira sunt symbola, quae ecclesiastici scriptores ac rerum lyturgicarum peritissimi in cera perhibent repraesentari, ut verum intelligatur quod docet S. Petrus Damian.^{**†}) nempe: „Nonnulla sunt in ecclesiasticis observationibus, quae in superficie quidem frivola videntur et levia; considerata vero subtilius magnae virtutis videntur veritate subnixa“. Et sane Amalarius Fortunatus qui obiit anno 814 in cereis Christi humanitatem affirmat praefigurari: „Cera, inquit, humanitatem Christi designat. Unanimitatem significationis vult habere cereus iste“^{***†}). Et Fulbertus Carnotensis, qui undecimo saeculo floruit, in sermone ad populum de Purificatione Beatae Mariae: „Volumus, ait, breviter exponere fratres, unde coepit

*) Origin. l. 7. c. 22.

***) Rerum liturgicarum l. I. c. 23. §. 7.

***†) De ritib. Eccles. cath. l. 1. c. 8.

†) De miss. appar. c. 25. l. 7.

††) Expl. miss. t. I. art. 5.

†††) Part. tit. 20. n. 8.

*†) In confutat. Clandii de Vert. §. 26.

***†) Libro, qui inscribitur *Dom. vobiscum* c. 17.

***†) De Eccles. Off. l. I. c. 18.

solemnitas purificationis, quam hodie celebratis, et quid significant cerei quos vos offertis per lumen cerei divinitatem Christi, per ceram significantes carnem ipsius virginalem, apis enim et cerae et mellis opifex sine coitu maris et faeminae procreatur^{*)}“. Yvo Carnotensis Episcopus, ita refert Benedictus XIV.^{**}), in sermone de Purificatione s. Mariae, ait: „quemadmodum scilicet humanitatem excepit manibus, interiori vero cognovit majestatem, quae suo lumine infidelitatis nostrae tenebras illustrabat, ita quemlibet in hac die fidelem ceram gestantem manu sic eam gerere, ut ad suam ipsius carnem alludat et in candela lumine lucem agnoscat, qua aeris nostri tenebrae collustrantur. Addit ceram, quae hac die a fidelibus manu geritur, ex odoriferis floribus depromptum fructum esse apis: *Virginis videlicet animantis, cuius, sicut legitur, sexum nec masculi violant nec foetus quassant*; atque ita symbolum illius divini infantis, *qui nec in egrediendo matris integritatem violavit*“. His consona sunt quae habet Petrus de Natalibus Episcopus Exquilinus, inquit: „Tertio propter mysticam significationem et in capite et in membris. In capite enim candela accensa Christum significat, in cereo enim tria sunt, quae denotant tria, quae in Christo fuerunt. Nam cera, quam apes gignunt, sine commixtione significat carnem Christi natam de Virgine sine corruptione, lychnum in cera latens significat animam candidissimam in carne latentem. Ignis vero sive lumen significat divinitatem, quia Deus noster ignis consumens est. In membris vero quia per hoc instrumur quomodo coram Deo purificari debeamus, ut sci-

*) Biblioth. Pat. Lugdun. t. 18. p. 37.

***) De fest. B. V. M.

licet habeamus fidem veram, actionem bonam et intentionem rectam^{*)}. Brevis idem exponit Durandus: „Recte quidem, ait, cereus Christum significat propter tria quae in eo sunt; lychnum namque animam, cera corpus et lumen divinitatem significat^{**}). Eadem habet s. Anselmus^{***}), Raymundus †) aliique. Praeclara utique haec sunt symbola, quae tamen in candelis ex *stearina* confectis omnino evanescent. Quamnam ratione Christi carnem virginalem poterit per eas candelas significari, quae ex adipe sive suis, arietis, sive bovis constant esse elaboratas? Neque officit rei nostrae nonnullos ex laudatis scriptoribus allatas significationes de illis candelis exposuisse, quae a fidelibus in die Purificationis B. M. V. manu gestantur; ea enim tantum occasio fuit id explicandi, quod cerei, qui pro divino cultu adhibentur, semper repraesentant. Quapropter, ni fallor, eadem omnino pro retinendo cereorum usu adsunt rationes ac pro tela ex lino contexta adfuere, nempe ritus antiquitas ab ecclesiae primordiis et mysticae significationes quae nullimode obtinerentur quoad cereos, si ex *stearina* conficiantur.

His accedit et alia ratio, quae in rebus lyturgicis maximi est facienda scilicet *convenientiae et decentiae*. Atque ut melius ejus vis intelligatur ad mentem revocandum est usque a primis ecclesiae saeculis fideles cereos pro Dei cultu obtulisse, quemadmodum patet ex sermone, qui s. Augustino tribuitur, ubi auctor certe antiquissimus populum exhortans ait: „Qui possunt, aut cereolos aut oleum quod in cincindelibus mittatur exhibeant ††).

*) Lib. 3. cautal. Sanctor. c. 72.

***) Ratio divin. off. l. 6. de bened. cereo.

***†) 2 feb. art. 3. §. 3. quaest. 1.

†) t. I. l. 3. sect. 3. c. 5. n. 345.

††) Serm. de temp. 215.

Hinc hujusmodi mos usque ad nos pervenit, ut in ordinatione Clericorum, Episcoporum consecratione Sanctorumque Canonizatione cerei offerantur. Et quamvis oblationes in missae sacrificio paulatim desueverint, attamen usque modo fideles licet privatim passim pro cultu divino cereos offerre omnes norunt. Itaque cera duplici sub respectu potest considerari: vel quatenus est fidelium oblatio Deo facta, vel quatenus pro Dei Sanctorumque honore incenditur et crematur. At sub utroque respectu ratio postulat ut inter diversas rerum species, ex quibus lumen haberi potest, nobilior seligatur, quae absque dubio est cera apum munere ex odoriferis floribus deprompta, non autem *stearina*, quae ex animalium adipe obtinetur; atque ideo indecens omnino est ut adeps pro Deo colendo comburatur. Quare eximius Suarez quaerens ex qua materia constare debeat lumen pro missae sacrificio ita statuit: „Ecclesiae consuetudinem esse ut cerea candela accensa, et hoc servandum; inferior autem materia nullo modo adhibenda est, ut ex sevo vel simile: est enim valde indecens et ab ecclesiae usu prorsus aliena“^{*)}.

Hoc adeo verum est, ut in casu necessitatis, quo candela ex cera pro missae sacrificio haberi non possint, plerique doctores tradunt potius lucernam ex oleo, quam lumen candela sebaeae esse adhibendum. Hujus sententiae ratio validissima est, quia oleo ex Dei praecepto pro divino cultu usi sunt Hebraei; eoque utitur etiam Christi Ecclesia ob plures quas in se continet mysticas significationes. Rem optime exponit clarissimus De Albertis in opere de sacris utensilibus^{**}), ubi allata prius eorum sententia, qui in

*) De miss. seu sacrif. legis novae quaest.

83. disp. 81. sect. 6.

***) t. I. c. 3. n. 154 etc.

praedicto necessitatis casu candelas ex sevo confectas adhiberi posse censabant, sic subjungit: „Sed Silvius paulo superius adductus, *Suarez.* de Euch. disp. 81. sect. 6., *Reginaldus* Prax. for. poenit. l. 29. c. 9. sect. 7. n. 196., *Leand.* de Sacram. tract. 8. disp. 7. quaest. 19., *Ricc.* decis. 213. n. 1. p. 3., *Garz.* in summa tract. 3. diffic. 8. dub. 3. punct. 1. n. 18., *Pontas.* dict. cas. consc. verb. miss. 7. et *Benedictus* XIV. loc. sup. cit. defendunt oleum semper praefendum sevo hocque adhibendum in extrema necessitate. Et quamvis momenta a Pasqualigo loco superius citato adducta apparentia sint nec contemnenda videantur, ratio tamen illa me admodum movet, quod ecclesia in sacris ministeriis usu quidem habet oleum, quod plures continet in se mysticas significationes, quas longum esset recensere, non vero adipem, qui imundum ac corruptibile praesefert. Qua de re decentius semper erit lumen ex primo quam ex altero. In sacrificio autem omnium maximo semper usurpanda esse quae decentissima sunt omnes omnino fatentur. Quamvis autem laudatus auctor agat hic de luminibus, quae necessario ex ecclesiae lege requiruntur pro missae sacrificio, nihilominus data proportione ratio eadem esse debet ac pro caeteris ecclesiasticis functionibus, quibus Deus ejusque Sancti honorantur et coluntur.

Quae hactenus dicta sunt confirmari possunt auctoritate S. Congregationis christiano nomini propagando praepositae. Anno enim 1833 Vicarius apostolicus regni Coreae apud Sinas ita suppliciter expostulavit. „Potrone uti in celebratione missae cera ex quadam arbore fluente? Cerae hujus species satis similis est cerae communi: facile invenitur et vilis est pretii, dum cera ex favo mellis extracta ex remotissimis provinciis affertur et nonnisi cum

maximis expensis comparari potest“. Hujusmodi precibus in particulari conventu super rebus Sinarum habito die 13. Augusti anni 1834 relatis ab eo viro Emmo, qui summa cum laude jam ab eo tempore hujus S. Congregationis praefecti munere fungebatur, rescriptum fuit: „Supplicandum SSmo pro gratia a Vicario apostolico petita, ut durantibus circumstantiis ille possit pro suo arbitrio et conscientia permittere in missae sacrificio usum cerae ex quadam arboris specie fluentis“. Hoc autem rescriptum meae sententiae optime favet. Etenim hic agebatur de cera vegetali, quae absque dubio nobilior est cera animali, agebatur de locis ubi cera ab apibus elaborata minime reperitur et nonnisi ex remotissimis regionibus magna cum expensa comparari potest, et tamen illi Emmi Patres arbitrati non sunt eo in casu declarare fas esse Vicario apostolico ejusque missionariis candelas ex ea cera confectas adhibere, sed duxerunt supplicandum SSmo pro dispensatione et quidem non absoluta, sed cum conditione, durantibus nimirum circumstantiis. Curnam non declararunt licere? Non alia de causa quia optime noverant cerae usum apibus munere eductae ab ecclesiae primordiis inductum esse atque miras continere mysticas significationes.

Sed jam ratio postulat ut momenta quae pro novis cereis afferuntur sedulo perpendantur. Praecipua autem haec sunt. Inprimis quia, si tum cera ex apibus, cum illa ex adipe analysi subjiciatur, constat de utriusque identitate. Nam utraque materia non solum in eadem resolvitur elementa *carbonium, hydrogenum et ossigenum*, verum etiam ipsorum elementorum eadem ferme adest quantitas ponderibus atomisticis mensurata, quinimo *l'acide stéarique contient plus de gaz oxigène et il est par consequent plus*

propre à la lumière. Ita auctor observationum, quas transmisit Episcopus Massiliensis, qui ex eo quod in quibusdam plantis et floribus cera reperitur, statuit, que la eire n'est pas le produit immédiat de l'abeille et que l'on est fondé à croire que cet insecte la cueille sur les plantes semées dans la nature et la dépose dans la ruche“. Ex his autem qui nobis favent candelis inferunt stearinam aut veram esse ceram aut saltem „sebum nunc chymica arte taliter immutatum fuisse, ut aliud vere quippiam evasisse credi deberet“ et ceram huic sebo, etsi pro parva quantitate adjunctam, ita misceri, ut unum quid ejusdem generis censi possit: addunt tandem sebum ita esse purgatum „ut deposito factore, duritiem albedinemque, quidamque perlucidatis assumpserit“ ac propterea „novae antiquis candelae praeferruntur propter munditiei atque nitoris pariorisque sumptus rationem“.

Est et alia ratio ob quam novae candelae antiquis praeferruntur, nempe quia ex opificum confesso constat triginta atque quadraginta et quinquaginta usque sebi pro centum cerae partibus in antiquis cereis adjungi, unde putide defluunt et cuncta quae supponuntur... maculantur“. Idem refert opifex mediolanensis. Tandem nonnulli ex eo moventur quod jam in quibusdam ecclesiis in Germania, in Gallis et Italia novi cerei pro divino cultu usurpantur; alii vero, etsi illas non audeant approbare, nihilominus dubitant utrum eas liceat adhibere, ea tantum de causa quia ferunt aliter quam cerae partem *stearinae* esse commixtam. Hae sunt rationes quas novorum cereorum opifices vel patroni urgent, ut eorumdem usus pro sacris functionibus licitus declaretur. Et primo quidem contendunt *stearinam* habendam esse tamquam ceram ab apibus collectam quia iisdem elementis com-

ponitur. Verum ut hujusmodi momenta diluantur statuendum est fallacem omnino esse eorumdem methodum, qui ex analysi elementorum, quibus corpora componuntur, eorum naturam assequi arbitrantur. Etenim ratio, qua natura praeparat, disponit simulque miris modis connectit primigena elementa, adeo obstrusa est, ut humanae mentis acies eo usque nequeat penetrare. Hinc est ut uniuscujusque corporis natura, praesertim si de corporibus organicis, ut ajunt, agatur, si analysi subjiciatur, natura ipsa destruitur; hinc est ut si iisdem elementis, eademque quantitate ope artis chymiae aliquod corpus conficiatur erit specietenus alteri simile, quod quisque imitandum vel fingendum sibi proposuit, sed natura et proprietatibus potest esse omnino diversum, quod et notorici chymiae periti fateri coguntur. Quid autem si elementa quantitate et proportione sint diversa? Nonne et pleraeque plantae carbonio, hydrogeno et ossigeno componuntur et tamen cum in unaquaque specie elementorum proportionibus sint diversae, una ab altera virtute, sapore caeterisque proprietatibus differt? Quod de plantis dictum est, etiam de caeteris corporibus esse intelligendum nemo ignorat. Haec autem non solum apud veteres, sed etiam apud recentiores verissima sunt semperque erunt, quia natura rerum nunquam mutatur. Caeterum bene nostis Emmi ac Rmi Patres ecclesiam numquam suas leges mutavisse ob aliquod physicae vel chymiae adinventum, alioquin omnia vertentur, neque liceret ex gr. diebus jejunii vel abstinentiae pane triticeo vesci, eo quod celebris Brugnatelli Papiae professor Beccari Bononiensis observationes et experimenta perficiens demonstravit illud, quod ex farina, cui amyllum subtrahatur, remanet, *fibrinae* animali quoad es-